



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

II. Vt episcopi accusati appellant sedem apostolicam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

principis inuasisse. Sui enim ( vt paulo superius comprobatum est ) iuris erat , vt absque eius sanctæ sedis auctoritate , nullus deberet aut Concilia celebrare , aut episcopos ad Synodus conuocare , vel damnare eos , aut propriis pellere sedibus , aut alios in eorum loco ordinare , quæ omnia vos temerare non timuistis. Quid ergo est aliud talis præsumptio , nisi quod apostolorum eorumque successorum decreta transgredi , & maledictionem superius comprehensam , in lege scilicet cautam , quam omnis populus uno ore consonaque responsione per Amen , id est , fiat , confirmavit , suscipere non timuistis ? Nam ( vt reor ) talibus transgressionum funiculis constricti , nostrum , ne vestra proderentur flagitia , examen declinatis , & ad supradictam vocationem venire distulisti. Sane manifestum est suum eos confiteri crimen , qui toutes euocati , absque ineuitabili causa venire distulerunt , & purgandi se voluntate non vtuntur. Nam si de vestris dictis confideretis , etiam in faciem probare non distulifsetis. Tales insidiatores spiritu præudentes sancti patres in Nicæa congregati , leges statuerunt , quas nos Canones appellamus , ne facile probi ab improbis damnarentur , ex quibus nonnullas sententias his inferi iudicauimus , vt tantorum patrum auctoritate nostra roboretur epistola , atque omnes orientales , sive reliquarum partium episcopi hæc audientes , in tantam foueam non incident , ne damnationem a patribus decretam percipient. Sequuntur enim hæc ex prædicto Concilio Nicæno capitula , id est , 18. 19. 21. 23. 26. 27. 28. 33. 41. 5. & 7. & \* 9. ac 51. 52. 53. 54. 55. 57. 58. 59. 60. 61. 63. \* 66. \* 67.

## II.

<sup>2. qu. 6.</sup>  
Omnes epi-  
scopi.

Vt omnes episcopi , qui in quibusdam grauioribus pulsantur vel criminantur causis , quoties necesse fuerit , libere apostolicam |appellent sedem , atque ad eam quasi ad matrem configuant , vt ab ea ( sicut semper fuit ) pie fulciantur , defendantur & liberentur. Cuius dispositioni omnes maiores ecclesiasticas causas , & episcoporum iudicia , antiqua apostolorum eorumque successorum atque Canonum auctoritas referuauit . Quoniam culpanatur episcopi qui aliter erga fratres egerint , quam eiusdem sedis papæ fieri placuerit .